

### Erlaß der Diöcesanbehörde.

Betreffend Gebete um günstiges Wetter zur Ernte.

Um von Gott nach dem anhaltenden Regen für die Ernte das notwendige günstige Wetter zu erbitten, verordnen wir, daß, so lange es Bedürfnis erscheint,

1. in jeder heiligen Messe die Oratio (17) ad postulandam serenitatem eingelegt,
2. in der Kathedrale wie in allen Seelsorgkirchen zum Anfange der Frühmesse, an den Sonn- und Festtagen bezüglichensfalls auch des Hochamts, das Allerheiligste in der Pirs ausgesetzt, das „D heiliger Gott“ entsprechend gesungen und der sacramentale Segen gegeben werde.

Frauenburg, 4. Juli 1898.

Der Bischof von Ermland.

† Andreas.

### Neue kirchliche Entscheidung der Ritencongregation.

Ritus bei der Taufe erwachsener Kinder.

Cardinal Guibert, Erzbischof von Paris, fragte bei der S. R. C. an, ob Kinder aus katholischen Schulen, wenn ihnen vor der ersten h. Communion die Taufe zu spenden ist, nach dem ritus Baptismi parvulorum getauft werden dürften. Die Ritencongregation überwies die Frage an das h. Officium, und dieses antwortete mit Affirmative. Jedoch sollen die vorgeschriebenen Antworten von den Kindern gemeinschaftlich mit den Páthen gesprochen werden (10. Mai 1897).

### Die Provinzialsynoden von Elbing u. Riga, gehalten 1427 u. 1428.

#### 2. Die Statuten des Rigaer Provinzialconcils vom J. 1428.

(Schluß).

25. De iure patronatus.

Plerumque contingit, quod ecclesiis curatis vacantibus patroni earum contra iuris dispositionem non tantum earum custodiam, immo etiam bona per defunctum dimissa et tempore vacationis ob-

veniencia, que in utilitatem ecclesiarum ipsarum expendi vel futuris deberent successoribus fideliter reservari, et quandoque etiam nondum vacante ecclesia, sed eius rectore in infirmitate laborante, bona per eum acquisita et possessa sibi usurpant, occupant et in proprios usus convertunt in ipsarum ecclesiarum et succedencium in ipsis ecclesiis vacantibus grave dispendium et iacturam. Nos ergo ausus ipsorum reprimere et ecclesiarum indemnitatibus precavere cupientes hoc presenti statuto decernimus, patronos ecclesiarum, aliorum quoque beneficiorum ecclesiasticorum, cuiuscunque status, condicionis, preeminencie vel ordinis fuerint, aliquid premissorum occupantes, usurpantes vel id fieri procurantes, si ecclesiastice, suspensionis ab officio et beneficio, si vero laicales persone fuerint, excommunicationis sentenciis eo ipso, nisi infra tres menses a tempore monicionis plene restituerint, subiacere, nisi sufficienti privilegio aut iusta causa et rationabili hoc eisdem competere dinoscatur.

Alienum quidem est a sanctorum patrum institutionibus, ecclesiastice contrarium honestati destabile quorundam clericorum factum, qui, quandoque<sup>1)</sup> simplicitate sua seducti, interdum avaricie vicio excecati, ut ecclesiastica beneficia valeant usurpare, ecclesias et alia beneficia a laicis patronis absque institutione episcopi vel veri collatoris recipere et in manibus laicorum, cum voluerint, renunciare, minime verentur. Laici quoque patroni, quibus ex vi iuris patronatus non<sup>2)</sup> collatio beneficii, sed ex gracia presentacio est indulta, sua temeritate eos instituunt, renunciaciones<sup>3)</sup> ab eis recipiunt, nonnunquam etiam pro libitu voluntatis, cum voluerint, destituunt ab eisdem.<sup>3)</sup> Quem abusum de cetero personis laicalibus sub pena privacionis ecclesiastice communionis et iuris presentandi prima vice, clericis vero beneficia recipientibus ab eisdem vel recepta beneficia ad manus illarum renunciantibus, sub pena privacionis suorum beneficiorum et inhabilitatis ad aliquod<sup>4)</sup> ecclesiasticum beneficium in perpetuum assequendum strictissime prohibemus. Beneficiati autem, qui de presenti beneficia taliter a laicis sunt adepti, nisi infra tres menses a publicatione presen-

<sup>1)</sup> quamquam J. — <sup>2)</sup> fuerit add. J. — <sup>3)</sup> renunciaciones — eisdem om. J. — <sup>4)</sup> om. J.

cium institutionem a locorum ordinariis receperint, sint post huiusmodi temporis lapsum illis irrecuperabiliter privati, laicales autem persone, hoc fieri impediens, excommunicationis sentencie subiaceant eo ipso.<sup>1)</sup>

26. *De censibus et exactionibus et visitacionibus.*

Ordinaciones sacrorum conciliorum una cum sanctorum patrum institutionibus, debito officii nostri nos ammonente, exequi volentes, districte in virtute sancte obediencie singulis ordinariis vel his, ad quos de iure vel approbata consuetudine visitacionis spectat officium, iniungimus, ut singulis annis per se vel per alios subditos suos et monasteria visitent, a neophitis precipue perquirendo, an aliqui devii a semita veritatis fidei orthodoxe fuerint aberrantes, crimina et excessus diligenter investigent et pro illis condignam penam et fructuosam penitentiam imponant, consuetudinibus vel replicacionibus non obstantibus quibuscunque, ad hoc eciam, si opus fuerit, prout iuris est, brachium seculare invocando. Volumus insuper,<sup>2)</sup> ut quilibet visitans iuxta formam canonis 35. q. 6. „Episcopus in synodo“<sup>3)</sup> statuatur testes synodi provinciales<sup>4)</sup> viros honestiores, maturiores et veraciores, qui simpliciter et de plano absque ulla iurisdiccione sollicitate investigent, que in eadem correccione digna sunt vel reformacione, eaque fideliter perferant ad futurum provinciale concilium Domino<sup>5)</sup> annuente celebrandum, ut super illis et aliis tunc proponendis, prout utilitati et honestati congruit, provida deliberacione valeat provideri. Statuta quoque huius sacri provincialis concilii stricte faciant<sup>6)</sup> observari, illa in suis synodis episcopalibus saltem semel singulis trienniis publicaturi. Alioquin, si qui suffraganeorum nostrorum in premissis, quod absit, negligentem reperti fuerint vel remissi, suspensionem ab executione pontificalis officii a iure comminatum habebunt merito formidare, statutum istud de testibus synodi provincialis ad testes in episcopalibus synodis pariformiter constituendos, utilitate et necessitate suadentibus, extendentes. Si autem rei, accusati vel alii quicunque non accusati honori, testium ad huiusmodi salubre officium statutorum ob hoc detraxerint, iniuriati fuerint aut ipsos<sup>7)</sup> infamaverint, ad arbitrium ordinarii loci pena pecuniaria vel alia, que magis timetur, iuxta quantitatem iniurie et iniuriantis facultatem rigide puniantur. Illam autem pecuniam dumtaxat in usus pauperum volumus converti.

<sup>1)</sup> om. J. — <sup>2)</sup> eciam J. —

<sup>3)</sup> *Decretum Gratiani pars 2 causa 35 quaestio 6 cap. 7:* Episcopus in synodo residens post congruam allocutionem septem ex plebe ipsius parochiae vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores honestiores atque veraciores viros in medium debet evocare etc. —

<sup>4)</sup> provincialis H. — <sup>5)</sup> om. J. — <sup>6)</sup> sciant J. — <sup>7)</sup> corpus J.

27. *De celebracione primarum<sup>1)</sup> missarum.*

Quoniam commessaciones et convivia vix fieri possunt sine culpa — venter enim cum delicate conficitur, lingua nunc ad magniloqua, nunc ad mendosa, quandoque ad tumultuosa vanaque loquendum perniciose defrenatur — ut ergo eo salubrius, sanccius et devocius presbyter novellus primam suam missam valeat celebrare et ad solum Deum, cuius milicie est ascriptus, aciem sui cordis dirigere, quo illa die a convivancium fabulacionibus convivorumque curis et sequelis ipsum longius contigerit segregari, statuimus, ut nullus sacerdotum noviciorum illa die, qua celebraverit primam missam, in exordio publicationis sui sacratissimi officii offerendo Deo primicias gratie collate, nec ante nec post dictam diem per quindenam, aliquos audeat ad convivium invitare aut invitatos habere, seu id fieri per se vel per alium permittere aut procurare, sed remotis vanitatibus iuvenularum, concursibus corearum, strepitibus<sup>2)</sup> histrionum, tumultibus et insolenciis aliis mundanorum soli Deo vacet illa die. Permittimus tamen, quod presbyterum sibi assistentem ac evangelium et epistolam legentes, in organis decantantem atque chororum regentem dumtaxat secum in mensa reficere poterit, absque vanis collocacionibus et concursu quorumlibet aliorum cum debita honestate. Si quis autem contrarium attemptare presumpserit, ipsum suspendimus presentibus<sup>3)</sup> a divinis.

28. *De baptismo et eius effectu.*

Quoniam ex diuturna infancium non baptizatorum detencione plura contingunt pericula animarum, cuiusmodi periculo obviare cupientes statuimus, ut infantes huiusmodi diligentissima et sollicitata cura respiciantur et ad suscepcionem baptismalis regenerationis, quantocius fieri poterit, perducantur.

Baptismus cum summa reverencia celebretur, maxime in distincione et prolacione verborum, in quibus virtus consistit sacramenti, his scilicet: ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Doceant eciam sacerdotes tam mares quam feminas, in necessitate posse et debere parvulos baptizare in<sup>4)</sup> eadem forma in ideomate suo et quod patres et matres infantes proprios, si summa necessitas exigat, poterint baptizare. Et si sacerdotes super hoc diligentius inquirentes debitam formam servatam in baptismate invenerint, quod factum est circa infantulum, si supervixerit, approbent supplementes circa ipsum baptizatum quoad unccionem olei in pectore et in scapulis ac crismatis in vertice, quod a laicis extitit pretermisum. Si vero in baptismate debitam formam invenerint non servatam, non differant pueros baptizare; sed si de forma dubitetur, infantulum non baptizent nisi sub

<sup>1)</sup> om. B. R. — <sup>2)</sup> om. J. — <sup>3)</sup> om. M. — <sup>4)</sup> om. M.

condicione ista, videlicet: si baptizatus es, non te baptizo,<sup>1)</sup> sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen etc.

### 29. De custodia eukaristie.

Ne propter nimiam sacerdotum incuriam divina indignatio gravius exardescat, districte precipiendo mandamus, quod a sacerdotibus in singulis ecclesiis parochialibus eukaristia signanter in loco singulari, mundo, signato atque clauso honorifice et devote collocetur, baptisterium autem, crisma et oleum sanctum sub fideli et clausa custodia diligenter conserventur, ne, ut quandoque compertum est, possit ad illa temeraria manus extendi. Prelati autem huius statuti non differant punire graviter transgressores. Verum quia quidam negligentes et remissi presbyteri non solum ecclesias dimitunt incultas, immo etiam corporalia, pallas altaris, vasa et vestimenta ministrorum adeo immunda relinquunt, quod aspicientibus indevocionem nauseam generant<sup>2)</sup> et horrorem, proinde in virtute sancte obediencie omnia predicta et alia ecclesie ornamenta precipimus munda et nitida observare. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, que dedecere etiam in prophanis.

### 30. De reliquiis et veneracione sanctorum.

Etsi sacri canones inhi-beant corpora fidelium mortuorum, etiam si per eos miracula facta comprobentur, absque Romane ecclesie auctoritate publice venerari, nonnulli tamen rustici et incole in provincia nostra Lyvonie non reliquias fidelium defunctorum venerando, sed, quod detestabilius est, in gravissimam Dei offensam adeo inherent supersticiose idolatrie ex demonum subtilitate adinvente,<sup>3)</sup> quod, fiducia creatoris et sanctorum suffragiis penitus derelictis, a naturalibus effectibus et vilioribus creaturis, scilicet a tonitruo, quod deum suum appellant, a serpentibus, vermibus<sup>4)</sup> et arboribus, in quibus confidunt, incrementum rerum suarum temporalium ac infelicem suam exspectant felicitatem, propter quod non immerito ira Dei descendens in filios diffidencie eandem provinciam continuis quasi<sup>5)</sup> pestilenciis, dampnosis gweris et intolerabili caristia a multis annis hactenus graviter afflixit: Et quia particeps censetur idolatrie, qui, cum prohibere potest, permittit idolis immolari, desiderantes de opportune provisionis remedio providere, omnibus prelati et sacerdotibus curam animarum gerentibus, universis quoque secularibus, cuiuscunque status vel condicionis aut ordinis fuerint, in eosdem idolatras dominium preterdentibus vel iurisdictionem, in virtute sancte obediencie et sub interminacione malediccionis eterne firmiter iniungimus, quatenus ad extirpacionem huius abhominabilis et supersticiosi cultus, quem divina vindicta nunquam dimittit inultum, totis suis

conatibus, etiam si opus fuerit invocando auxilium brachii secularis, exactissima diligencia sint intenti, sicut Deo in strictissimo eius iudicio sue villicacionis debitam desiderant reddere racionem.

### 31. De observacione ieiunii.<sup>1)</sup>

Prohibemus, ne quis adultus pariter et discretus ordinaria et discreta ieiunia, ut puta quadragesime, quatuor temporum et vigiliarum, presumat infringere nec huiusmodi necessaria ieiunia propter votiva extraordinaria ieiunia violare, cum tale dampnum tali lucro Deus noluerit compensare, pravam consuetudinem quorundam, qui sextam feriam violant et sabbato vel die alia in ebdomada ieiunant, detestantes.

### 32. De ecclesiis edificandis.

Perversorum exigit audacia, ut in statutorum edicione non semper simus delictorum prohibicione contenti, immo ut interdum etiam penam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque Alexandri IV, provide super non construendis oratoriis vel capellis absque auctoritate episcopali editum, que ut frequenter in ecclesiarum parochialium grave preiudicium eriguntur, cupientes inviolabiliter observari, eam decrevimus penarum adieccione iuvandam districte inhibentes tam ecclesiasticis quam laicalibus personis quibuscunque, ne deinceps ecclesias vel capellas, in illis erigendo sancti Anthonii et aliorum sanctorum imagines necnon carbonas<sup>2)</sup> vel truncos, in quibus oblaciones fieri solite reponuntur, presertim ante civitates, oppida, in viis publicis vel in locis ruralibus, absque auctoritate et speciali<sup>3)</sup> licencia petita et obtenta diocesani loci construere audeant quoquomodo. Contrarium temere presumentes excommunicacionis penam habebunt merito formidare. Constructas autem capellas absque huiuscemodi auctoritate infra annum a publicatione presencium constructorum expensis precipimus demoliri.

Quoniam conspeximus multas, presertim parochiales ecclesias, quas secundum antiquorum canonum instituta, adeo ut resplendeant, mundas servari deceret, ob provisorum, qui ad onus fabrice tenentur, negligenciam et incuriam, precipue circa tectorum, fenestrarum et aliorum necessariorum reformacionem minari ruinas, ita ut tempore inundacionis pluviarum vel nivium non tantum parochiani in ecclesia, immo nec<sup>4)</sup> presbyteri sacrificium Deo offerentes ante altare, vix tuti ab imbribus, ventis et tempestatibus se valeant custodire, unde in ecclesiis cessat devocio, impeditur contemplacio et circa divini cultus affectum accidia provocatur, desiderantes<sup>5)</sup> ecclesiarum reformacionibus opportune providere, universis prelati aliisque, quibus visitacionis competit officium, districtius iniungimus, ut, quocienscunque<sup>6)</sup> ipsis visitacionis officium peragentibus ecclesias parochiales reformacione debita repererint destitutas, provisos

<sup>1)</sup> rebaptizo B. R. — <sup>2)</sup> gravant J. — <sup>3)</sup> adiuvante H. J. — <sup>4)</sup> a — vermibus om. J. — <sup>5)</sup> om. B. R.

<sup>1)</sup> om. M. — <sup>2)</sup> carbonas B., carbanas R. — <sup>3)</sup> spirituali M., episcopali J. — <sup>4)</sup> om. M. — <sup>5)</sup> desiderando M. — <sup>6)</sup> quociens tempore J.

ipsarum, qui onus fabricae subire tenentur, tam seculares quam ecclesiasticos, ad restauracionem dirutarum ecclesiarum de bonis ad usum fabricae collatis vel in testamento legatis, canonica monicione premissa, si opus fuerit, ecclesiastica censura compellant. Si autem ad hoc fabricae non suppetant facultates, parochianos illarum ecclesiarum moneant et inducant, ut iuxta possibilitatem auxilium prestent pro ecclesia ipsorum, quando necessitas exstiterit, restauranda. Idem in restauracione docium ecclesiarum<sup>1)</sup> earundem volumus observari. Et quia expedit rectores ecclesiarum parochialium, volentes suos parochianos ad huiusmodi fructuosa, ut tenentur, subsidia invitare, quod in se ipsis prius clareat boni operis exemplum, quod predicant parochianis, ipsis visitatoribus districte precipiendo mandamus, ut rectores ipsos inducant et, si opus fuerit, penis legitimis compellant, quod de bonis, que eis supersunt,<sup>2)</sup> de stipendio suarum ecclesiarum collatis, pro restauracione earundem, quibus merito sunt obnoxii, contribuant iuxta posse. Nos autem omnibus manus adiutrices pro fabrica ecclesiarum huiusmodi porrigentibus, vere penitentibus et confessis, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi quadraginta dies de iniuncta eis penitencia misericorditer in Domino relaxamus.

### 33. De immunitate ecclesiarum.

Licet laicis quibuscunque, eciam religiosis, super ecclesiis et ecclesiasticis personis atque rebus nulla sit attributa facultas, apud<sup>3)</sup> quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, nonnullae tamen utriusque sexus persone nostre provincie in secretis suis conventiculis statuta et consuetudines, immo verius corruptelas, in derogacionem ecclesiastice libertatis, salubres et consuetas oblationes in ecclesia Dei<sup>4)</sup> prohibendo, ipsis aliisque spiritualibus ministeriis modum et mensuram imponendo, in sue proprie salutis dispendium introducere conantur. Nos animarum ipsorum periculis et scandalis obviare cupientes cassa et irrita declaramus huiusmodi statuta, consuetudines sive corruptelas, que vel quas consules civitatum vel officiales eorum sive quecunque alie persone seculares seu laicales, cuiuscunque dignitatis vel preeminencie fuerint, adversus canonicas sanciones, contra libertates ecclesie ecclesiasticasve personas introducere<sup>5)</sup> presumpserint vel servare, et tales, qui ob hoc excommunicacionem iure incidunt eo ipso, nisi a publicacione presencium infra tres menses statuta huiusmodi de libris suis deleverint et corruptelas huiusmodi aboleverint necnon locorum ordinarios de delecione huiusmodi certificaverint, precipimus excommunicatos publice denunciari. Si autem<sup>6)</sup> communitas talia attemptaverit vel pertinaciter sustinuerit nec ab huiusmodi insolenciis canonica monicione premissa destiterit, ecclesiastico sup-

ponatur interdicto. Verum etsi quis ignorancia iuris non excusetur, tamen ad convincendam contumaciam<sup>1)</sup> quorundam ignoranciam pretendencium, mandamus hoc salubre statutum quater in anno, singulis scilicet diebus dominicis quatuor tempora immediate sequentibus, in sermonibus publicari.

### 34. Ne clerici vel monachi secularibus negociis<sup>2)</sup> se immisceant.

Quamvis medico<sup>3)</sup> perito secundum principia sue artis diligenter operanti nil debeat imputari, quia tamen nonnullos sacri altaris ministros et alios, quibus medicinalis artis exercitium est a iure interdictum, non graduatos, eciam alias imperitos, humani favoris gracia vel cupiditatis causa, pretextu pietatis sibi licere putantes, contra sacros canones medele et cyrurgie officio se comperimus immiscere, attendentes quod interdum medicorum consilia<sup>4)</sup> preceptis divine condicionis plerumque sunt contraria — nam quandoque a ieiunio revocant, lugubrare non sinunt, de nocte surgere, orare et vigilare interdiciunt et ab omni intencione meditacionis abducunt — sacrorum canonum auctoritatibus inherendo districte precipiendo mandamus, ne quisquam subdiaconus, diaconus vel sacerdos ullam medicine artem aut cyrurgie, que ad incisionem vel adustionem inducit, audeat exercere. Contrarium presumentes — quia non sunt sine culpa, merito nec immunes esse debent a pena — ab execucione sacrorum ordinum suspendimus eo ipso, ante debitam penitenciam et integram restitutionem perceptorum ex cura huiusmodi nullatenus relaxandos.

### 35. De sponsalibus et matrimoniis.

Ad evitandum scandala et plurima pericula animarum, ut frequenter contingencia propter iuris ignoranciam aliquorum simplicium clericorum, presertim rectorum ecclesiarum parochialium, in contractibus matrimonialibus, qui sepius facti sunt et hodie fiunt in casibus prohibitis a iure, statuimus hoc sacro concilio approbante, districte precipiendo mandantes, ut quilibet rector ecclesie parochialis infra sex menses a publicacione presencium sub pena suspensionis ab execucione sacerdotalis officii sibi scribi procuret brevem et utilissimam summulam<sup>5)</sup> Joannis Andree, excellentissimi doctoris, super quarto libro decretalium editam, brevissime comprehendentem omnes casus et impedimenta, qui vel que circa contractum matrimonii accidere possunt vel oriri.

Cum itaque non quilibet, sed liber in causis matrimonialibus requiratur consensus, nec liber dici potest, qui ex arbitrio dependet alieno vel ubi metus coaccio intercedit, ut non subsequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire, hoc presenti statuto districcius<sup>6)</sup> inhibemus, ne quisquam per minas, vim vel metum, maxime talem, qui cadere possit in con-

<sup>1)</sup> parochialium add. M. — <sup>2)</sup> subsunt J. <sup>3)</sup> om. B. R. — <sup>4)</sup> om. M. — <sup>5)</sup> ut reducere J. — <sup>6)</sup> om. J.

<sup>1)</sup> inobedienciam M. — <sup>2)</sup> om. B. R. — <sup>3)</sup> om. J. — <sup>4)</sup> concilia B. R. — <sup>5)</sup> summam M. — <sup>6)</sup> striccius B. R.

stantem virum<sup>1)</sup> compellat aliquem vel aliquam ad matrimonium contrahendum. Nam vix bono peraguntur exitu, que malo sunt inchoata principio. Contrarium presumens, cuiuscunque status vel condicionis fuerit, per se vel alium, directe vel indirecte, ad hoc consilium vel auxilium prestans, excommunicationis vinculo irremissibiliter usque ad satisfactionem condignam innodetur.

Communis provincia nostra contra libertatem contrahendi matrimonium<sup>2)</sup> inolevit corruptela, qua sponsalia tam variarum et gravium penarum stipulatione vel adiectione vallantur, ut timore apposite<sup>3)</sup> pene contra sponsalia nulla parcium contrahendum, eciam si interdum aliqualis causa subesset, audeat resilire. Attendentes hanc corruptelam sacris canonibus merito improbatam et libertati que in matrimoniis et sponsabilibus exigitur penitus inimicam, eam hoc presenti statuto dampnatam a iure publicamus, iniungentes locorum ordinariis, ut subditos suos ab<sup>4)</sup> extorsione huiusmodi indebite pene ecclesiastica censura compellant.

Quia in nonnullis<sup>5)</sup> nostre provincie partibus sepe sepiusque contingit, presertim inter rusticos, quod legitime per verba de presenti vel quandoque per verba de futuro, carnali copula subsecuta, matrimonialiter coniuncti, qui eciam sepe diu sibi cohabitaverant, quandoque utroque coniuge consensiente, nonnunquam uno<sup>6)</sup> coniugum volente et<sup>7)</sup> altero disconsensiente, ab invicem diffugiunt et recedunt,<sup>8)</sup> aliis copulari<sup>9)</sup> aut alias vitam dissolutam seu fornicariam ducere non verentur, quorum aliqui sibi hoc falso licere putant ex eo, quia coram presbytero in facie ecclesie, non recepta ab eo sollempni benedictione, contraxerunt, unde credunt, ob<sup>10)</sup> hoc matrimonium verum et ratum non subsistere, minime attendentes, quod illi, quod Deus coniunxit, nec per se nec per alios poterint ab invicem separari, omnibus parochialium ecclesiarum rectoribus precipimus et mandamus, ut de huiusmodi hominibus in suis parochiis, et presertim a sibi confitentibus diligenter inquirent et, si tales reppererint, ipsos ad suos coniuges redire coherceant et inducant, aut ipsos nominatim apud suos ordinarios, ut ipsi de remedio provideant, non differant accusare.

Quoniam impedimentum publice honestatis, iuste<sup>11)</sup> a sacris canonibus introductum, iuris ignorantia ut credimus occasionem prebente, a nonnullis nostre provincie male extitit hactenus observatum, cum sepius inter maiores septennio,<sup>12)</sup> consensu legitimo interveniente, sponsalia pura absque conditione contrahantur et altero contrahendum decedente vel a sponsalibus recedente, interdum ambobus se mutuo absolventibus, supervivens vel alter contrahendum

et quandoque ambo in aliquo prohibitorum gradum usque ad quartum gradum consanguinitatis cum consanguineo vel consanguinea prioris sponsi vel sponse dampnabiliter se coniungunt, quod sub excommunicationis pena prohibemus de cetero attemptari, rectoribus parochialium ecclesiarum iniungentes, ut hoc impedimentum multis incognitum populo frequenter denuncient de ambone. Nam tante efficacie est huiusmodi publice honestatis impedimentum, quod ex sponsalibus eciam nullis, dummodo non sint nulla propter defectum consensus, oriatur impedimentum matrimonium impediens et post contractum dissolvens.

### 36. De clandestina desponsacione.

Clandestina itaque et interdicta coniugia adeo a iure<sup>1)</sup> detestantur, quod, si in gradu prohibito inita fuerint eciam ignoranter, soboles ex tali coniunctione suscepta prorsus illegitima est censenda, nullum ex parentum ignorantia, que affectata presumitur, subsidium habitura. Que tamen proles, si talis coniunctio in facie ecclesie facta foret in sic prohibito gradu, eciam altero tantum<sup>2)</sup> parentum hoc ignorante, legitima iudicaretur. Ut ergo sacramentum matrimonii cum omni<sup>3)</sup> reverencia et sollempnitate debita in conspectu ecclesie caucius celebretur, statuimus, ut, quodocunque<sup>4)</sup> matrimonium fuerit contrahendum, in ecclesiis per rectorem parochialis ecclesie, in cuius parochia sponsi vel sponse sua habent domicilia, tribus dominicis aut festivis diebus, a se distantibus, publice proponatur, ut si qui inter copulandos impedimentum matrimonii noverint subesse, illud infra terminum competentem, a plebano prefingendum, in facie ecclesie vel ipsi presbytero sine difficultate revelent. Omnes autem impedimenti huiusmodi celatores, quoniam ad hanc publicationem de iure obligantur, arcius ad sui iudicis arbitrium puniantur; parochialis quidem sacerdos, qui tales coniunctiones clandestinas obmiserit prohibere aut eis interesse presumens, ab ordinario loci per triennium ab officio suspendatur. Hoc autem salutare statutum cum eius penis, ne ab aliquibus iuris ignorantia, que tamen neminem excusat, frivole pretendatur, quolibet anno singulis diebus dominicis ante quatuor tempora rectoribus ecclesiarum parochialium districte in virtute sancte obediencie iniungimus publicandum.

### 37. De cognacione spirituali.

Provida ordinacione, ad impedimenta matrimonii precavenda, sacris canonibus est sanxatum, ut in baptismi et confirmacionis sacramentis unicus tantum assumatur patrinus, quod quidem rationi congruit. Nam sicut in adopcionibus et legalibus cognacionibus, que naturam imitantur cognacionis carnalis, unicus est pater, sic quidem in cognacione spirituali, ut unicus assumatur patrinus, obtemperando sacris cano-

<sup>1)</sup> om. B. R. — <sup>2)</sup> matrimonii J. — <sup>3)</sup> composite B. R. — <sup>4)</sup> om. M. — <sup>5)</sup> omnibus R. — <sup>6)</sup> vero J. — <sup>7)</sup> ab M. — <sup>8)</sup> et recedunt om. M. — <sup>9)</sup> copulati J. — <sup>10)</sup> om. M. — <sup>11)</sup> justicie B, M, R. — <sup>12)</sup> septimo J.

<sup>1)</sup> iura B. R. — <sup>2)</sup> om. M. — <sup>3)</sup> om. R. — <sup>4)</sup> quandoque B. R.

nibus, pariformiter disponentibus, esset merito observandum. Unde exhortamur et monemus, ut quilibet cristianus iuxta sacros canones in baptismi et confirmationis sacramentis unicum dumtaxat patrinum assumat. Sane licet contra ordinacionem iuris nil disponere possimus, prout nec intendimus, nihilominus tamen, ne ultra tres omnino in baptismo assumantur patrini, nolentes per hoc aliquomodo indulgere, ut ultra unum assumantur patrini, sub excommunicacionis pena contra tales presumptores promulgande, striccius inhibemus declarantes, si contrarium, ut sepe fit, acciderit<sup>1)</sup> ita, ut plures aliquem teneant ad aliquod predictorum sacramentorum, inter omnes cognacionem spiritualem contrahi, que matrimonia contrahenda impedit et post contracta dissolvit.

Insuper quia comperimus, quam plurimos senes et valetudinarios in decrepita sua etate primum venire pro confirmacionis sacramento, unde verisimile est, quod multi, presertim rustici, ex propria sua negligencia absque sacramento huiusmodi decesserunt, unde statuimus, quod<sup>2)</sup> quilibet ante annum duodecimum confirmacionis suscipiat sacramentum. Alioquin parentes eorum in hoc culpabiles, vel proximi consanguinei eorum, si parentes defuncti fuerint, circa hoc negligentes, iudicis sui arbitrio puniantur.

### 38. De consanguinitate et affinitate.

Sacrum Wyennense concilium volens metu pene temerariorum audaciam refrenare, eos qui in animarum suarum grave periculum, divino timore postposito, scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis constitucione canonica interdictis, aut cum monialibus matrimonialiter contrahere non verentur, necnon moniales et religiosos ac clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes, ipso facto excommunicacionis sentencie decrevit subiaccere, ecclesiarum prelati iniungens, ut illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tam diu denuncient seu a suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem ab invicem separentur et absolucionis beneficium mereantur obtinere.

### 39. De simonia.

Quoniam simoniaca pestis ex radice avaricie procedens adeo simplicium aut cupidorum sacerdotum oculos excecavit, ut ipsorum quidam, nisi prius oblato precio aut aliquo temporali promisso vel pro sacramentis pignore data, interdum impedimenta ficticia fraudulenter pretendendo, suis parochianis eucharistiam, baptismum parvulorum<sup>3)</sup>, benedicciones nubencium, sepulturas mortuorum aut aliquod aliorum sacramentorum amministrare inverecunde recusant,<sup>4)</sup> nos ergo ex pastoralis officio nostri debito simoniacam

pestem sua magnitudine alios morbos vincentem, cuius in premissis signa clarent manifeste, a nostra provincia eliminare desiderabiliter affectantes, inherendo sacro Turonensi concilio, ut ecclesiastica sacramenta et alia premissa libere absque paccione conferantur, predictum excessum, qui obtentu quantumcunque longeve consuetudinis minime potest excusari, omnibus sacerdotibus, nobis metropolitico iure subiectis, in virtute sancte obediencie et sub excommunicacionis pena strictissime prohibemus. Per hoc tamen interdicerere nolimus, quominus in sacramentorum collacione absque paccione libere oblata recipere liceat et tenere.

Sane laudabiles consuetudines, ut post sacramentorum collacionem aliquid sponte iuxta facultatem uniuscuiusque offeratur, quas ab antiquo non per exaccionem, sed piam laicorum fidelium devocionem credimus introductas, episcoporum diocesanorum tantummodo districcione, implorato prius eorum officio per ecclesiarum parochialium rectores, sub pena unius marce cere vel alia, que magis timetur, semper tamen habito respectu ad facultates transgressorum huiusmodi consuetudinum, quociens contraventum fuerit, ecclesie parochiali, in cuius limitibus domus extat transgressoris huiusmodi, applicanda, huius sacre synodi approbacione presenti statuto decernimus observandas. Intelleximus in nonnullis locis religiosis, tam inter monachos quam moniales, adeo simoniacam pullulare pravitatem, ut religionem devote petentes in eorum monasteriis absque previa precii oblacione vel pacto de offerendo recipere difficultant,<sup>1)</sup> paupertatem allegantes interdum, ubi copiose eorum suppetunt facultates, cum tamen tales gratis recipi, immo potius ad religionis observanciam invitari merito conveniret. Attendentes huiusmodi factum, perniciosum exemple,<sup>2)</sup> et generalibus conciliis et sanctorum patrum obviare institutis, id fieri de cetero strictissime prohibemus. Ne autem tam detestabilis pravitas absque ulcione canonica transeat impunita et per impunitatis audaciam, qui nequam sunt, efficiantur<sup>3)</sup> nequiores, precipimus tam recipientes sic simoniace quam eciam perperam receptos de illis monasteriis sine spe restitucionis expelli ac detrudi in locum regule arcioris ad salutarem penitenciam peragendam et tam execrabilem excessum sine intermissione deplorandum. Illud tamen grantanter recipi poterit, quod, nullo previo pacto vel exaccione seu<sup>4)</sup> taxacione, pura intencione sponte<sup>5)</sup> fuerit oblatum.

Sane si propter penuriam vel verum et non fictum defectum facultatis reddituum monasterii dictum fuerit religionem ingredi volenti, ut pro sui sustentacione secum portet, unde vivere possit, quia monasterii facultates pro<sup>6)</sup> pluribus personis non

<sup>1)</sup> accidit M. — <sup>2)</sup> ut M. — <sup>3)</sup> parvulorum, benedicciones parvulorum R. — <sup>4)</sup> recusent B.

<sup>1)</sup> facultant J. — <sup>2)</sup> exemplum M. — <sup>3)</sup> efficiuntur B, M, R. — <sup>4)</sup> exaccione seu om. B. R. — <sup>5)</sup> om. M. — <sup>6)</sup> om. M.

suppetunt, omni alio pacto cessante, illud non intendimus prohibere. Ne autem per simplicitatem vel ignorantiam aliqui se valeant excusare, iniungimus diocesanis episcopis, ut per monasteria et singulas parochias suarum diocesium singulis annis semel in prima dominica adventus et semel in<sup>1)</sup> prima dominica quadragesime vel alio tempore congruo hoc salutare statutum faciant publicari.

#### 40. De Judeis et Sarracenis.

Etsi imperialium legum sanctiones generaliter hostibus arma deferentes plecti iubeant sententia capitali, ac in sacrorum canonum institutionibus specialiter contra impios et falsos christianos, immo cristiane fidei persecutores in gravem Dei viventis iram ferrum, galeas, balistas, machinas ac arma quaecunque Sarracenis ac perfidis Ruthenis a gremio sancte matris ecclesie segregatis deferentes auxiliumque et consilium in dispendium cristianorum eisdem impendentes, pena certa et sufficiens sit statuta, attendentes tamen, quod pro dolor quamplures in nostra provincia, seva cupiditate seducti, metu canonice pene desistere a gravitate tanti flagicii nullatenus erubescunt, et quia plus timeri solet, quod specialiter interdicitur, quam quod generaliter prohibetur, tam perversorum audaciam refrenare desiderabiliter cupientes, hac sacra synodo approbante, conformantes nos processibus apostolicis, qui leguntur annis singulis in cena Domini, firmiter prohibemus sub pena excommunicationis late sentencie, ne quisquam cristianorum in quibuscunque armis vel materialibus deservientibus ad ea, aut equis vel alio quovis modo, directe vel indirecte, auxilia vel consilia<sup>2)</sup> eisdem dampnabiliter impendere presumat. Contravenire temere presumentes omnium bonorum suorum et rerum paciantur confiscacionem et iacturam, servi quoque efficiantur eorum, qui ipsos in huiusmodi delicto deprehendunt. Hoc statutum salutare<sup>3)</sup> singulis dominicis diebus in adventu Domini et quadragesima volumus publicari.

#### 41. De hereticis.

Hoc presenti statuto inhibitum publicamus, quod nulli laice persone licitum est publice vel privatim de fide catholica disputare. Contrafaciens excommunicationis laqueo innodetur. Et quia istis temporibus hereticorum perfidia per diversa mundi climata, ut intelleximus, secrete pro dolor seminatur, volumus<sup>4)</sup> ut, quociens aliquis indurato animo ab aliquo articolorum fidei orthodoxe repertus fuerit aberrare, hoc<sup>5)</sup> ad proprii sui antistitis, si commodo fieri poterit, alioquin ad sui rectoris parochialis audienciam, ut ulterius episcopo aut eius officiali referat, quantocius deducatur. Hoc facere negligens penis, que a iure contra fautores heresis prodierunt, puniatur. Non enim caret scrupulo societatis occulte, qui manifesto facinori desinit obviare.

#### 42. De raptoribus.

Rigorem iniquissime et abrogate legis Rodye de iactu, calamitate afflictis afflictionem addentis, que naufragium patientibus ab inhabitatoribus loci omnia bona eorum auferre et appropriare permisit, canonica benignitas equitate pensata temperavit statuendo eos, qui cristianos naufragium pro negociacione vel aliis honestis causis patientes, quibus merito secundum regulam fidei pie compaciendo auxilio esse tenerentur, dampnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata restituerint, ipso iure excommunicationis sentencie subiaccere, quosque ius civile, restitutione non facta infra annum, quadrupli pena censuit puniendos.

#### 43. De usuris.

Quoniam non sine interitu salutis animarum creditorum servari possunt iuramenta a debitoribus super solucionibus usurarum per creditores extorta, districte precipimus singulis locorum ordinariis, ut creditores usurarum vicio laborantes ad relaxandum suis debitoribus huiusmodi illicita iuramenta ac ad desistendum ab ipsarum usurarum exactione ecclesiastica districtione compellant. Sane licet canonica sanctione caveatur expresse, quod pignus integraliter restitui debeat debitori, quando creditor vel ab eo causam habens tantum de fructu pignoris percepit, quod deductis expensis satisfactum est<sup>1)</sup> sorti principali, nonnulli tamen, avaricie cecitate seducti, perceptos fructus pignoris in sortem computare nolentes, hac periculosa usurarum specie in perpetuum anime sue detrimentum publice minime laborare verentur, quos, ut a tam dampnato vicio formidine pene desistant, precipimus eadem censura striccius cohereri.

Licet usurarum voraginem, que caritatem vulnerat, animas devorat et exhaurit facultates, utriusque testamenti pagina detestetur, nonnulli tamen pro dolor, ceca cupiditate seducti, sue salutis immemores, hoc crimine dampnabiliter involvuntur. Unde hoc dampnabile vicium, tam divinis quam humanis iuribus dampnatum, a finibus nostre provincie exterminare desiderantes, hac sancta synodo approbante ordinamus et ordinationem nostram sub interminatione malediccionis eterne undique per nostram provinciam inviolabiliter precipimus observari, ut quolibet anno singulis dominicis diebus immediate quatuor tempora sequentibus, et eciam in adventu Domini et quadragesima infra missarum sollempnia per singulas parochiales ecclesias in omnes manifestos usurarios de usura convictos, palam confessos, vel pro usurariis publice proclamatos, aut de quibus alias per evidenciam facti clare constat, eos nominatim exprimendo excommunicationis sententia proferatur, similiter et in eos, qui in civitatibus talibus usurariis aliunde venientibus locant domos suas. Ipsorum quoque manifestorum usurariorum oblaciones iuxta Lateranensis statuta concilii minime recipiantur, neque ipsi ad

<sup>1)</sup> om. B. R. — <sup>2)</sup> concilia B. R. — <sup>3)</sup> singulare M. — <sup>4)</sup> autem add. M. — <sup>5)</sup> hic J.

<sup>1)</sup> om. M.

communione altaris vel confessionis sacramentum aut absolucionis beneficium, sed nec ad cristianam sepulturam, nisi in vita de usuris satisfecerint vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum idoneam secundum iuris formam caucionem prestiterint, nullatenus admittantur; eos autem, qui in hoc peccato, non<sup>1)</sup> premissa satisfaccione, ut premittitur, decesserint, sepelientes sacrum Wyennense concilium statuit ipso facto excommunicacionis sentencie subiacerent, excepcionibus vel privilegiis non obstantibus quibuscunque. Heredes eorum nihilominus, quantum de fenebri pecunia ad eos pervenerit<sup>2)</sup> prout eorum paciantur facultates, restituere ecclesiastica censura<sup>3)</sup> compellantur. Rectores vero parochialium ecclesiarum, qui in publicacione huius salutaris statuti antedictis diebus negligentes fuerint reperti, aut alii<sup>4)</sup> sacerdotes, manifestos usurarios ad aliquod predictorum admittere presumentes sive oblaciones ab eis recipientes, donec recepta restituerint aut pro commissa negligencia vel excessu ad arbitrium diocesanum sui satisfecerint, a sui officii executione volumus suspendi.

Preterea occulti usurarii per confessores suos, ut a peccato desistant huiusmodi, moneantur diligenter. Qui si desistere noluerint, ipsis communio dominici corporis dissuadeatur omnino nec absolvantur ab ordinariis locorum, quibus hunc casum reservamus expresse, nisi infra terminum, ipsis per confessores eorum prefigendum, illis a quibus huiusmodi usuras extorserunt satisfecerint, vel saltem satisfacere promiserint iuxta posse, cum non dimittatur peccatum, nisi precedat restitucio ablatorum.

Sane licet ex dampnata et longeva corruptela usurarii quidam soliti<sup>5)</sup> sunt de centum marcis mutuatis sex marcas recipere annuatim cum pacto de sorte integre repetenda in interitum sue salutis, quod de cetero fieri firmiter prohibemus: Recipientes tamen ultra sex marcas de centum, quia maiori crimine usure se maculant, ad ampliorem restitutionem se obligante<sup>6)</sup>, sive directe hoc fecerint aut indirecte puta per contractum, qui fieret in fraudem usurarum, excommunicacionis pena, precedente canonica monicione, percillantur.

Ab antiquo inolitam usure speciem eet dampnabiliter a nonnullis nostre provincie hactenus continuatam, colorato quodam vocabulo *batam* vulgariter nuncupatam, qua sub certa et determinata mensura frumentum mutuatur, puta in modio mensurato sive in superficie cum baculo planificato, et solucionis tempore repetitur in eodem vel consimili modio cumlato vel alio modo<sup>7)</sup> semper tamen cum augmento, sub pena contra alios usurarios a iure prodita, sacro approbante concilio firmiter prohibemus.

<sup>1)</sup> om. M. — <sup>2)</sup> pervenit B. — <sup>3)</sup> eccl. censura om. M. — <sup>4)</sup> alios H. — <sup>5)</sup> solliciti M. — <sup>6)</sup> obligantes B. M. R. — <sup>7)</sup> modio H.

Sacrum Wyennense concilium eos, qui perverso dogmate et falsa quadam opinione in illum errorem inciderint, ut affirmare pertinaciter audeant, quod non sit peccatum usuras exercere nec usurarium ad feneratoris restitutionem obligari, decrevit non immerito velut hereticos puniendos, locorum ordinariis et heretice pravitate inquisitoribus districtius iniungens, ut contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos invenerint, tamquam suspectos de heresi procedere non omittant.

#### 44. De crimine falsi.

Insuper prohibemus generaliter omnibus et singulis, cuiuscunque status aut condicionis fuerint, quod nullus monetam, que in nostra provincia, presertim partibus Lyvonie, cuditur et est dativa, falsificet aut preter superiorum et verorum dominorum eiusdem monete in eadem parte provincie nostre scitum et consensum quomodolibet alteret, diminuet vel immutet, sed firmiter et quanto precipius<sup>1)</sup> fieri potest ipsam monetam iuxta ordinacionem eorundem dominorum monete cudi ac fieri sinant et faciant immutabiliter permanere, et eciam, quod nullus de eadem moneta ultra unum fertonem seu quartam partem unius marce extra partes nostras ducat seu transmittat, aut a suis duci seu transmitti faciat. Provide aut scienter contrarium facientes excommunicacionis sentenciam volumus incurrere ipso facto, nec aliquis talium ab alio quam archiepiscopo Rigensi pro tempore existenti una cum expressa notificacione huius sceleris absolvatur. Et hoc presens statutum nostrum volumus singulis diebus<sup>2)</sup> dominicis post quatuor tempora populo intimari publice de ambone.

#### 45. De sortilegiis.

Sortilegiis, divinacionibus vel incantacionibus necnon Judaicis supersticionibus deservientes, tamquam fidei cristiane et baptismi sui violatores ac idolorum cultores, quolibet anno singulis diebus dominicis in adventu Domini et quadragesima excommunicacionis vinculo constringi districte precipiendo mandamus, prohibentes, ne ab aliquo<sup>3)</sup> quam a proprio episcopo, nisi in mortis articulo, ab huiusmodi vinculo<sup>4)</sup> aliquatenus relaxentur.

#### 46. De privilegiis.

Quum non sint sine culpa, qui rei, que ad eos non spectat, se immiscent, merito et a pena tales non convenit esse immunes, et congruum est, ut illos, quos ad iuris observanciam virtutum premia non inducunt, saltem formidine pene a culpis et temerariis suis ausibus iura refrenarent. Animadvertens<sup>5)</sup> siquidem Clemens papa quintus nonnullos religiosos, suis iuribus non contentos, suas fimbrias ultra limites suorum privilegiorum extendentes, rectorum parochialium iura vulnerare et sibi eorum iurisdictiones in spiritualibus dampnabiliter usurpare,

<sup>1)</sup> precipius B. M. — <sup>2)</sup> om. M. — <sup>3)</sup> alio B. R. — <sup>4)</sup> vinculis M. — <sup>5)</sup> Animadvertentes B. M. R.



eis, ne clericis aut laicis sacramentum unceionis extreme vel eukaristie ministrare matrimoniave sollempniter benedicere, non habita super his parochialis presbyteri licencia speciali, ne etiam excommunicatos a canone, preterquam in casibus a iure expressis vel per privilegia apostolica concessis eisdem, vel a sententiis per statuta synodalia aut provincialia promulgatis seu, ut eorum verbis utamur, a pena et a culpa quemquam absolvere presumant, sub gravissima pena, scilicet excommunicationis quam transgressores huiusmodi incidunt eo ipso,<sup>1)</sup> striccius interdixit, absolucionem ipsorum sedi apostolice reservando. Cuius constitutionem quoad excommunicationis penam, quam incidant etiam absolventes a sententiis, per mandata ordinariorum vel ab eis vive vocis oraculo prolatis, ex paritate rationis extendimus per presentes. Quos etiam voluit ipse Clemens per locorum ordinariorum, postquam de hoc eis constitit, excommunicatos publice denunciari, donec eis de ipsorum absolutione fuerit sufficiens facta fides, nullo religiosis eisdem exemptionis vel alio privilegio suffragante. Hoc salutare statutum precipimus inviolabiliter observandum, ordinariis omnibus in virtute sancte obediencie iniungentes, ut circa huiusmodi statuti observanciam et penarum executionem vigilanter sint attentis.

Quia comperimus, quamplures sub allegacione privilegiorum, que habere pretendunt, a iusticie et equitatis rectitudine et contra dispositionem iuris communis nimium deviare in non modicum tam propriarum periculum animarum, quam aliorum prejudicium et gravamen, et cum<sup>2)</sup> allegans privilegium ipsum coram iudice ordinario de iure producere teneatur, eapropter statuimus, ut in talibus privilegia allegantes ad certificandum tam suas proprias quam aliorum, quorum interest, consciencias debeant sua privilegia aut ipsorum autentica transsumpta producere requisiti, aut parere communis iuris dispositioni, quousque ab ipsis privilegia aut transsumpta huiusmodi producentur, suorum privilegiorum allegacione temeraria non obstante.

#### 47. De purgacione vulgari.

Detestandam et canonica sanxione dampnatam consuetudinem, in certis diocesibus nostre provincie plus quam in aliis mundi partibus hactenus dampnabiliter continuatam, qua, cum contra aliquos criminis suspicio oritur et alias deest copia probacionis, in supplementum probacionis et expurgacionem occulti et suspicati criminis artantur incole, presertim rustici, a suis superioribus, nonnunquam etiam sponte se offerunt, ad ferri candentis aut aque ferventis et interdum frigide penitus<sup>3)</sup> interdictum iudicium subeundum, inimico humane salutis fabricante adinventum, in quo Deus specialiter temptari videtur, ut elementum contra suam naturalem agat ordinationem aut in ea deficiat, et frequenter is qui in culpa non est, aliis

suis peccatis prepeditus, Condempnatur et delicti conscius incantacione vel arte magica liberatur, cum tamen melius sit nocentem absolvere quam innocentem illicite condempnare, abolere desiderabiliter affectantes statuimus et in virtute sancte obediencie striccius servari mandamus, quatenus non solum alios constringentes, ut subeant huiusmodi vetita<sup>1)</sup> et improbata iudicia, sed etiam sponte ad talem purgacionem se offerentes excommunicationis mucrone, nulla excepcione admissa, deinceps severius percellantur.

#### 48. De penitenciis et remissionibus.

Quoniam secundum beatum Augustinum in quodam canone cavetur expresse, quemlibet sacerdotum teneri et debere scire canones penitenciales, alioquin in eo vix nomen sacerdotis constabit, ut ergo sacerdotes circa penitencias dispensando caucius valeant arbitrari, precipimus sub pena suspensionis ab executione sacerdotalis officii, quatenus quilibet presbyter habens curam animarum, vel si cui a iure vel ex privilegio officium audiendi confessiones est indultum, infra tempus semestre sibi prescribi faciat huiusmodi canones penitenciales summatim, qui in numero sunt 46 ad hunc effectum, ut sciant, que pena specifica<sup>2)</sup> pro certis delictis et excessibus a iure penitentibus est iniungenda. Quamvis autem<sup>3)</sup> ipsi canones tales certas et expressas penas<sup>4)</sup> statuunt, nihilominus tamen discreti sacerdotis officio est commissum, ut consideratis circumstanciis peccati et peccantis ac pensata qualitate contricionis ac aliis circumstanciis possit huiusmodi penas vel penitencias minuere vel augere. Sane quoniam plures sunt casus in iure expressi, ignaris et simplicibus presertim laicis ignoti, quibus aliqui ipso facto periculose excommunicationis vinculum incidunt ignoranter, et quia malum evitari non solet nisi cognitum, nec absolucionis queritur remedium nisi ab eo, cui constat se fore peccati vinculis laqueatum, animarum saluti providere desiderabiliter cupientes, predictis statutis adiicimus striccius precipiendo singulis ecclesiarum rectoribus, quatenus in summa sibi copiarum faciant casus, quibus aliquis excommunicationis sententias incidit ipso iure, sub pena prius expressa et infra tempus superius prefinitum. Ipsos quoque casus vel saltem illos, quibus communiter persone nostre provincie solite sunt illaqueari, quolibet anno singulis dominicis diebus in adventu Domini et quadragesima in sermonibus suis publicent de ambone.

Porro ne errore detestabilis ignorancie vel simpliciter sacerdotum perpetui exicij fodeatur laqueus animabus ex eo maxime, quod nonnulli ipsorum non tam temere quam ignoranter etiam citra mortis articulum se intromittere presumunt in casibus, in quibus eorum penitus restricta est potestas, pape scilicet et suis episcopis specialiter reservatis, minime attendentes.

<sup>1)</sup> corpore M. — <sup>2)</sup> tum H, tamen J. — <sup>3)</sup> peremptis J.

<sup>1)</sup> vetida B, fetida R. — <sup>2)</sup> pacifica J. — <sup>3)</sup> om. M. — <sup>4)</sup> penitencias M.

quod tunc solum efficax et salubris est absolutio, cum fit potestate vel clave ecclesie non errante, unde animarum saluti consulere desiderantes ordinamus, ut quilibet curam habens animarum vel alius quicumque prelatus aut religiosus, cui a iure vel privilegio audiendi confessionis officium est iniunctum, infra annum a tempore publicationis presencium sub pena sepius preacta habeat in scriptis casus pape et suo episcopo diocesano a iure vel statuto specialiter reservados, nec in talibus casibus quemquam absolvere audeat absque sui superioris commissione speciali. Ut autem copia premissorum trium punctorum et summe Joannis Andree super quarto decretalium, de qua est statutum supra de sponsalibus<sup>1)</sup>, petentibus possit conveniencius ministrari, precipimus, ut quilibet episcopus vel eius vicarius aut officialis habeat in scriptis preactam summulam Joannis Andree, canones penitenciales, casus quibus quis incidit excommunicacionem ipso iure, una cum casibus pape et episcopis specialiter reservatis, ne propter defectum exemplaris vel copie aliquis valeat excusari.

Porro quamvis fratribus ordinum predicatorum et minorum ex privilegio apostolico confessiones audiendi eis confiteri volencium ac ipsis confitentibus, prout secundum Deum expedire congoverint, penitencias salutares imponendi ac demum absolutiois impendendi beneficium sit graciose concessa potestas, tamen quia huiusmodi privilegium iuris, cuius forma exacta diligencia est servanda, sub certis et determinatis modis ac condicionibus a sede apostolica emanavit, nec fratribus ipsis nisi modis et condicionibus huiusmodi purificatis vel impletis in aliquo premissorum articulorum est attributa facultas, unde plerique fratres ad clavium potestatem parum attendentes confessoris fruuntur officio in sue proprie salutis et dispendium animarum plurimarum, tenore privilegii huiusmodi minime servato, quare fidelium animabus, ut tenemur, de salutari volentes remedio providere, sepe dictis fratribus sub pena suspensionis ab officio districte precipiendo mandamus, ne ad tam salubre confessionis ministerium ac officium dampnabiliter se ingerant exequendum, nisi prius per magistros priores seu gardianos provinciales aut eorum vicarios sive generales sui ordinis tamquam idonei et sufficientes ad huiusmodi officium electi fuerint et approbati et demum, humiliter petita licencia et obtenta a locorum ordinariis, ut de eorum gracia et beneplacito in diocesibus eorum huiusmodi privilegio uti valeant, fuerint admissi. Persone quoque sic electe et approbate extra diocesin et civitates, in quibus fuerint deputate, quas per easdem<sup>2)</sup> dumtaxat et non per provincias censemur deputandas, sacre confessionis officium nullatenus exercere presumant timore pene superius<sup>3)</sup> comminate.

Quia pia et liberalis mater ecclesia nemini precludit gremium redeunti, statutis canonicis necnon consuetudini catholice quarundam regionum inherendo, iudices, iusticiarios pariter et dominos temporales pie hortamur in Domino, per viscera misericordie<sup>1)</sup> Jhesu Cristi attentius deprecando, ut quociens eorum iudicio cristianus fuerit ultimo supplicio pro suis excessibus deputandus, cum ad imaginem Dei sit formatus et unigeniti eius filii precioso sanguine redemptus, ei petenti non audeant negare penitencie sacramentum, immo talem ad penitenciam provocent studiose, adiciences quod si in eo penitencie signa apparuerint manifesta, ac devote viaticum; scilicet dominici corporis postulaverit sacramentum, premissa per sacerdotem suum parochialem devota informacione de contemptibili statu huius mundi, miseria humana et premiis vite eterne, illud eidem triduo ante huiusmodi supplicium cum debita reverencia offeratur. Ordinariis locorum districte nihilominus iniungimus, ut ad observanciam huius salutifere provisionis predictos iudices et dominos temporales, cum primum commode poterint, diligenter monere et, si necesse fuerit, ecclesiastica censura compescere non omittant.

Licet unicuique sacerdoti rite ordinato ligandi et absolvendi in habitu sit attributa potestas, tamen nullis in actu exercitium huiusmodi potestatis absolvendi competit, nisi his, quibus animarum cura specialiter est commissa. Abusum ergo illum, qui in aliquibus civitatibus nostre provincie dicitur observari, quo presbyteri passim preter sui superioris indultum<sup>2)</sup> sibi invicem confitentur ac mutuo se absolvent, penitus abolere volentes prohibemus, ne quisquam non sui subditi de cetero audiat preter necessitatis articulum confessionem, nisi ante omnia perquisito a confitente, cuius eciam in hoc simplici verbo stari<sup>3)</sup> poterit, utrum licenciam habeat sui superioris vel rectoris parochialis, ut alium eligere valeat confessorum.

#### 49. De sententia excommunicacionis.

Ad convincendam quorundam laicorum contumaciam, iuris vulgati ignoranciam pretendencium maliciose, laicos eciam iudices, cuiuscunque preeminencie vel status fuerint, quibus in personis et rebus ecclesiasticis nulla est tributa facultas, apud<sup>4)</sup> quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi per se, propria sua, non prelatorum ecclesiasticorum auctoritate in clericos, eciam in minoribus constitutos ordinibus, temerarias aut violentas manus iniicientes, capientes vel in carceribus dstringentes vel id per familiam suam vel quoscunque fieri procurantes aut percussionem clerici, eorum<sup>5)</sup> nomine eciam absque ipsorum mandato factam, postea ratam habentes, cum facientem et consencientem par pena constringat, una cum suis familiaribus vel aliis ad

<sup>1)</sup> § 35. — <sup>2)</sup> eas B. R. — <sup>3)</sup> om. M.

<sup>1)</sup> anime pie J. — <sup>2)</sup> permissum J. — <sup>3)</sup> stare M. — <sup>4)</sup> om. B. — <sup>5)</sup> clericorum M.

hoc deputatis pro tam sacrilega manuum iniectioe incidere in canonem late sentencie presenti constitutione publicamus et ad apostolicam sedem, a iure dumtaxat expressis casibus exceptis, pro consequendo absolucionis beneficio remittendos.

Ne iuris ignorancia occasionem prebente iudices laici clericos in carceribus vel vinculis detinendo, sibi hoc interdum licere putantes, excommunicacionis vinculo dampnabiliter illaqueantur, hac nostra constitutione notificamus, quod quocienseunque a iudice laico captus se clericum allegaverit malefactor, si notorium est eum fore clericum aut fama publica aut communi existimacione<sup>1)</sup> pro tali habitus fuerit atque tentus, sive si prius publice pro clerico se gerebat et in clericali habitu fuerit deprehensus, cum huiusmodi rei cognicio, scilicet an sit clericus, ad ecclesiastici iudicis spectet examen, talis ad eius forum absque ulla<sup>2)</sup> alia cognicione est quantocius remittendus. Aliud tamen est censendum, si prius pro laico se publice gerebat, quamvis deprehensionis tempore in habitu repertus fuerit clericali; tunc quidem restituendus non est, quousque fidem de titulo fecerit clericali, propter presumptionem, que adversus eum oritur ex delacione laicalis habitus precedente. Attamen pendente probacione de titulo clericali contra eum quivis processus secularis iudicis penitus con- quiescat.

Attendentes quod, ubi nervus ecclesiastice discipline dirumpitur,<sup>3)</sup> necesse est, ut navicula Petri, militans ecclesia, periculosis maris fluctibus conquassetur, inherendo penitus provisioni sacri Wyennensis concilii districte precipiendo mandamus, ut omnes religiosi, eciam exempti ordinis cuiuscunque, interdictum per sedem apostolicam vel ordinarium loci potitum, aut cessacionem divinatorum factam per provincialis concilii statuta vel eum, qui hoc de iure facere potest, quamdiu per cathedralem ecclesiam sive matricem, id est maiorem illius loci ecclesiam baptismalem, tenentur, secundum certam et limitatam a iure formam inviolabiliter studeant observare. Alioquin non servantes excommunicacionis sentencie subiaceant eo ipso, non obstantibus appellacionibus, eciam ad sedem apostolicam interiectis, consuetudinibus aut statutis sive privilegiis quibuscunque.

Sane quoniam quilibet cristicola tempore sue regeneracionis in baptisate, si adultus, per se, aut, si infans fuerit, per patrinum, velle credere in unam sanctam ecclesiam catholicam profitetur expresse, quapropter, prout congruum est et debitum, monemus et exhortamur quoscunque cristifideles, ut eius censuras ecclesiasticas et excommunicacionem, scilicet interdictum et suspensionem, quem principaliter Deus statuit vicarium suum in terris et caput ipsius ecclesie militantis, scilicet pape et coepiscoporum eius, quibus data est potestas ligandi et solvendi in terris, humiliter sufferant eis que pareant cum effectu.

#### 50. De verborum significacione.

Quum translatio unius linguagii seu ideomatis in aliud vix aut difficulter fieri potest, ut perlegentibus semper precise<sup>1)</sup> eundem, immo diversum quandoque generet intellectum, ex quo non solum opiniones, verum eciam asserciones contrarie et temerarie et errores periculosi ut plurimum oriuntur, eapropter statuimus et<sup>2)</sup> sub pena excommunicacionis late sentencie omnibus et singulis, tam religiosis quam secularibus et aliis<sup>3)</sup> cuiuscunque status seu condicionis fuerint, inhibemus, ne libros ecclesiasticos, presertim theologicos, necnon historicos aut iuris canonici de latino transferant aut transferri faciant in vulgare, cum ex huiusmodi translacionibus sepius errores heresum et alia non modica, ut premititur, generentur pericula animarum.

Item quia reperiuntur nonnulli, qui ad circumveniendum alios aliquociens verbis et aliquando<sup>4)</sup> elocucionibus sophisticis innituntur, ad suam intencionem verborum significacionem et intellectum trahere et interpretari conantes, declaramus et mandamus, quod propter nullius subtilitatem aut extraneam seu insolitam eius interpretacionem recedi<sup>5)</sup> debeat a proprietate et communi usu verborum, sed quod sit semper ad communem ipsorum verborum intelligentiam recurrendum.

Quum ad animorum<sup>6)</sup> diversitatem ut frequenter subsequi solet discors opinio sentenciarum, ne igitur verba prescriptorum nostrorum statutorum interpretacionibus cavillentur capciosius,<sup>7)</sup> statuimus ut in dubiis, si que circa ea emergerint, non secundum privatam cuiuslibet sensum capcioso, sed secundum iuris communis regulas, prout iuris est, verba dubia congruum capiant intellectum et semper in eo sensu sumantur, quem recte intelligentibus communiter solent generare. Si nec sic opinionum fuerit varietas sedata, ad decertacionem<sup>8)</sup> et declaracionem eius, qui archiepiscopus fuerit pro tempore, decernimus recurrendum.

#### 51. De regulis iuris.

Regulares sacrorum canonum sanxiones, infalibilem recte vivendi normam omnibus prebentes, et hec nostra provincialia statuta, in hoc sacro concilio cui Domino auctore presidemus, per nos una cum fratribus nostris et prelatibus aliisque ecclesiasticis personis ad correccionem excessuum et morum reformationem pro oportunitate presentis temporis edita et approbata, ab omnibus, qui nobis iure metropolitico subesse censentur, in virtute sancte obediencie inviolabiliter precipimus observari, quatenus quilibet, tam ecclesiastici quam secularis status, nobis creditus eis hic regulatur in via, faciendū quod Deo omnipotenti gratum est, ipsius regula dirigatur in patriam,<sup>9)</sup> cui laus, honor et gloria per infinita seculorum secula. Amen.

<sup>1)</sup> precise B. — <sup>2)</sup> ut B. R. — <sup>3)</sup> alias B. R. — <sup>4)</sup> add. M. — <sup>5)</sup> recedere M., recideant J. — <sup>6)</sup> animarum R. — <sup>7)</sup> capiosis M. — <sup>8)</sup> determinationem B. R. — <sup>9)</sup> patria H. J.

<sup>1)</sup> extimacione B. — <sup>2)</sup> add. M. — <sup>3)</sup> dirumpitur R.

## Diöcesan-Nachrichten.

### 1. Pontifical-Functionen.

Der Hochwürdigste Herr Ordinarius trat am 6. Juli die erste diesjährige bischöfliche Visitationsreise an, welche nach folgendem Plane verlief: 7. Juli Visitation und Firmung in Tolksdorf; 8. Juli desgleichen in Blakwich; 10. Juli Visitation und Firmung in Langwalde; 11. Juli desgleichen in Wusen und Stegmannsdorf; 12. Juli Visitation und Firmung in Bafien; 13. Juli desgleichen in Kalkstein; 14. Juli desgleichen in Arnsdorf; 15. Juli Altarweihe, Visitation und Firmung in Benern; 16. Juli Empfang in Wornsditt; 17. Juli Firmung daselbst; 18. Juli Religionsprüfung daselbst, zugleich für Dpen; 19. Juli Visitation in Wornsditt; 20. Juli desgleichen in Clossen.

### 2. Missionen

sind im laufenden Jahre abgehalten worden vom 29. Mai bis 5. Juni in Santoppen, vom 19.—26. Juni in Mehlisack, vom 3.—10. Juli in Arnsdorf, vom 17.—24. Juli in Freudenberg.

### 3. Die Katharinerinnen in Braunsberg

haben jüngst zur Verstärkung der Praxilianischen Niederlassungen vier 4 Schwestern abgesandt: Ermelindis Sahn nach Petropolis, Thecla Groß, Isabella Kosing und Thaddäa Witt nach Cruz de Fora. Ueber die Aufgabe, die sie dort zu lösen haben, orientirt ein eingehender Aufsatz im St. Adalbertsblatt 1898, Nr. 26 ff. Man denkt bereits daran, in Petropolis ein Noviciat für einheimische Postulantinnen einzurichten.

## Literarisches.

1. Die kirchliche Uebersetzung und die russische theologische Literatur. Eine kritische Gegenüberstellung Freiburg bei Herder 1898 VI und 584 S. 8. M. 4. In russischer Sprache abgefaßt, verdient obiges Werk in vollem Maße die Beachtung aller Katholiken, die dieser Sprache mächtig sind; es verfolgt nämlich den Zweck, die hervorragendsten russischen Theologen von Petersburg (Katanškij und Lebiediew) und Kasan (Vieltajew) auf Grund eines ernstlichen, eingehenden Quellenstudiums zu widerlegen und zu zeigen, daß diese Vertheidiger der russischen „Orthodoxie“ vor Lügen, Fälschungen und bewußten Auslassungen nicht zurückschrecken, um zu beweisen, daß der Primat des Papstes eine „Neuerung der Katholiken“ ist und den ersten Jahrhunderten der Kirche unbekannt war. — Der Verfasser dagegen liefert den unanfechtbaren Beweis, daß diese Theologen Behauptungen aufstellen, die angesichts der russischen kirchlichen Quellen und der „orthodoxen“ Dogmen häretisch sind. Wir wünschen dem Werke, das von katholischem Geist durchdrungen ist, den besten, redlich verdienten Erfolg, zunächst in Rußland selbst, dann aber im Interesse der Sache auch eine gute Uebersetzung, oder eine kürzere für deutsche Leser geeignete Bearbeitung.

2. Josephus von Hohenzollern, der letzte Abt von Oliva. Verlag von R. Varh, Danzig 1898. Eine pädagogische historische Studie von Franz Splett. 80 S. 8. 1,25 Mk. Aus Anlaß der im Herbst 1896 in Poppot tagenden westpreussischen Lehrerversammlung hatte der Verfasser für die Festschrift eine kurze Arbeit unter demselben Titel geliefert. Das vorliegende Werkchen weist außer dem Bilde Josephus und einem Gedicht auf die Hohenzollern folgenden Inhalt auf: 1. Die Stammburg Josephs. 2. Seine Jugend. Vorbereitung für den Priesterstand. Bischofswahl. Die traurigen Schulzustände in der Provinz Preußen nach dem Tilsiter Frieden. 3. Schulgründungen: a) Langfuhr. b) Oliva c) Lettkau. d) Poppot. 4. Sorge für das höhere Schulwesen. Lehrplan für die Landschulen Ermlands. 5. Sorge für Lehrbücher. Der Fürstbischof als

Schulautorität. 6. Bestreben des Fürstbischofs, durch persönliche Einwirkung das sittliche und intellectuelle Wohl des Lehrers, sowie das Ansehen des Lehrerstandes nach außen hin zu fördern. 7. Hirten schreiben an die Lehrer seiner Diöcese. 8. Instruction über die Ertheilung des Religionsunterrichts an den Elementarschulen des Bisthums Ermland. 9. Sorge für Verbesserung der materiellen Lage der Lehrer. 10. Josephs Tod und Begräbnis. Während der dritte Abschnitt manches Neue aus den Akten von Oliva und Pselplin bringt, ist der übrige Inhalt über Hohenzollern und Schmückling fast wörtlich den Arbeiten entnommen, welche der ermländische historische Verein publicirt hat. Immerhin wird das Büchlein auch in der vorliegenden Gestalt für die Lehrerwelt eine willkommene Gabe sein.

3. Institutiones Theologiae Dogmaticae. Tractatus de Deo Creante, de Deo Consummante. Auctore Petro Einig, S. Theologiae et Philosophiae Doctore, ejusdem S. Theologiae in Seminario Trevirensi Professore. Cum approbatione Ordinarii, Treveris 1898. Ex officina ad S. Paulinum. 3 Mk. 172 + 68 pp. 8.

Die vorliegenden zwei Tractate enthalten die katholische Lehre über die Geschöpfe, wie sie von Gott ausgehen (de Deo Creante) und am Ende zu Gott zurückkehren (de Deo Consummante), wobei die betreffenden Wahrheiten klar und bündig dargelegt und die widersprechenden Irrthümer schlagend zurückgewiesen werden. Mit dem in nahe Aussicht gestellten Erscheinen der noch fehlenden zwei Tractate wird Einig's gediegene Dogmatik (vgl. Paporalbl. 1897 S. 116) den gewünschten Abschluß finden.

4. Die 14 heiligen Nothhelfer. Ein Belehrungs- und Erbauungsbuch für das katholische Volk. Von Dr. Jos. Ant. Keller, Pfarrer in Gottenheim. 160 S. geb. 50 Bfg. Münster 1898. Alphonsus-Buchhandlung. — Recht empfehlenswerth.

## Anzeige.

Hubon & Parker, Verlag, Bevelaar (Niederrhein).

Sobien ist erschienen und durch alle Buchhandlungen zu beziehen:

**P. B. Mercier, S. J.**

**Der heilige Joseph, Gemahl Mariä, Nährvater Jesu, Patron der Kirche, nach der hl. Schrift und Tradition.** Theologische moralische und historische Erwägungen mit einem Entwurf von Betrachtungen und Betungen. Autorisirte Uebersetzung von G. Pletl. Mit kirchlicher Druckerlaubnis. Mit einem Stahlstich, gr. 8°. XII. und 424 S. Preis broch. Mk. 4.—, geb. in Calico Mk. 5.—

Ferner:

Chatel, J., Abt's Kleine Abhandlung über die Zerstreuungen beim Gebet. Auszug aus der Theologie und Ascese. Autorisirte Uebersetzung von G. Pletl. Mit kirchl. Druckerlaubnis. 16°. 64 S. broch. 30 Bfg.

Wiesner, P. Cherubin, O. Fr. M. Nur Eines ist **nothwendig!** Andenken an die heilige Mission. Mit Güttheilung der Ordensobern und Approbation des hochw. Generalvikariates zu Münster. 16°. 139 S. und ein Titelbild, gebunden 50 Bfg.

Mit 2 Beilagen: Von J. P. Bachem in Köln „Lumen cordium“ und von Benziger & Co. in Einsiedeln über relig. Bilder.